

Alte Drucke

Postillae Sive Conciones ... In Epist. & Euang. de Sanctis ... memoria

POSTILLÆ SI-||VE CONCIONES REVE-||REND. D. IOANNIS FERI, || Metropolitanæ
Moguntinæ Con-||cionatoris absolutiss. || In Epist. & Euang. de Sanctis, quorum
à Festo || Pascæ vsque ad Aduentum in ...

Wild, Johann

Antverpiae, 1559

IN DIE DIVI IOANNIS BAPTISTAE EVANGELIVM Lucae I.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-150413

139
IN DIE DIVI IOANNIS

BAPTISTAE EVANGELIVM

Luca 1.

Elizabeth autem impletum est tempus pariendi, & peperit filium. Et audierunt vicini, & cognati eius, quia magnificavit Dominus misericordiam suam cum illa, & congratulabantur ei. Et factum est in die octavo venerunt circumcidere puerum, & vocabatur eum nomine patris sui Zachariá. Et respondens mater eius dixit: Nequaquam, sed vocabitur Ioannes. Et dixerunt ad illam: Quia nemo est in cognatione tua qui vocetur hoc nomine. Innuebant autem patri eius quæ vellet vocari eum. Et postulans pugillare, scripsit dicens: Ioannes est nomen eius. Et mirati sunt vniuersi. Apertum est autem ilico os eius & lingua eius, & loquebatur benedicens Deum. Et factus est timor super omnes vicinos eorum, & super omnia montana Iudææ diuulgabantur omnia verba hæc: & posuerunt omnes qui audierant in corde suo dicentes: Quis putas puer iste erit? Etenim manus Domini erat cum illo. Et Zacharias pater eius repletus est spiritu sancto, & prophetauit dicens: Benedictus Dominus Deus Israël, quia visitauit & fecit redemptionem plebis suæ. Et erexit cornu salutis nobis in domo David pueri sui. Sicut locutus est per os sanctorum, qui a seculo sunt prophetarum eius. Salutem ex inimicis nostris, & de manu omnium qui oderunt nos: Ad faciendam misericordiam cum patribus nostris,

T 3 & me-

& memorari testamēti sui sancti: Iurandum quod iurauit ad Abraham patrem nostrū, daturū se nobis: Vt sine timore de manu inimicorū liberari, seruiamus illi: In sanctitate & iustitia corā ipso omnibus diebus nostris. Et tu puer propheta altissimi vocaberis, prābis enim ante faciem Domini, parare vias eius: Ad dandā sciētiā salutis plebi eius, in remissionē peccatorum eorū: Per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitauit nos oriēs ex alto: Illuminare his qui in tenebris & in vmbra mortis sedēt, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.

EADEM FESTA DIE

Epistolæ loco lectio Isa. 49.

Audite Insulæ, & attendite populi de longe: Dñs ab vtero vocauit me, de vtre matris meæ recordatus est nominis mei. Et posuit os meum quasi gladium acutum, in vmbra manus suæ protexit me, & posuit me sicut sagittam electam. In pharetra sua abscondit me, & dixit mihi: Seruus meus es tu Israël, quia in te gloriabor. Et ego dixi: In vacuum laboraui, sine causa, & vanē fortitudinem meam consumpsi. Ergo iudicium meum cum Domino, & opus meum cum Deo meo. Hæc dicit Dominus formans me ex vtero seruum sibi: vt reducam Iacob ad eum, & Israël ad eum congregabitur. Et glorificatus sum in oculis Domini, et Deus meus factus est fortitudo mea. Et dixit: Parum est, vt sis mihi seruus ad suscitandas tribus Iacob, & feces Israël conuertendas. Ecce dedi te in lucem gentium, vt sis salus mea vsque ad extremū

ter-

terra. Hæc dicit Dominus redemptor Israël, sanctus eius, ad contemptibilem animam, ad abominatam gentem, ad seruum dominorum. Reges videbunt & consurgent Principes, & adorabunt propter Dominum, quia fidelis est, & sanctum Israël qui elegit te.

SERMO PRIMVS.

Longa in hac præsentī solennitate, verborum periphrasi, quis hic noster Ioannes sit, & cur tam illius cum in Euangelio, tum in Ecclesia honorifica habeatur mentio, memorare, minimè necessariū arbitror. Oratio rebus dubijs adhiberi solet. Appij Claudij accusator olim dicebat, superfluum nimirū ratus, multis verbis vti in eius accusatione, cuius scelera per omnium ora volitarent, omniumq; odiū mererentur. Sic eū, cuius manī festa virtus est laudare necesse nō est. Ipsa em virtus sui copiosa laus est. At sicubi q̃ malum est tanquā bonū prædicandū erit, hoc opus hic labor est. Appiū enim si quis & Nerone, idq; genus hominum iniquissimorum, alios virtutis ornatu decorare voluerit, is sanè meditatus accedat, necesse habet: si vero Ioannes noster laudandus est, multis verbis non eget, tantum huius Euangelij in mente habuerit historiam. Etenim hoc Euangelio cognito, quis hic Ioannes fuerit, non ignorabitur: tum vero si quis, qua ratione ad fidem & Christi agnitionem peruenerimus, quomodo lapsi, quotidie in gratiam redeamus, secum perpendit: sanè cui rei ipse seruiat nobis Ioannes, ad quid utilis sit, sciet. Cognitis ergo nomine officioque illius omnibus faciliore tractatione res tota absoluetur. Neque enim dubia res est hoc negotium Ioanis, sed certissima omnium. Quicquid vspiam magnum quicquid egregium, dignumq; laude prædicatum est in alijs, commune huic Ioanni nostro cum illis est: præterea autem peculiaribus quibusdam donis claret, quæ nulli secundo data sunt. Id quod longa demonstratione non eget. In omnibus creaturis, Angeli primas tenent: & Ioannes Angelus dicitur, non natura sed officio. Post Angelos Patriarchæ principem locum tenent: & inter ipsos

Ioan. 1.

Ioan. 1.

Marc. 6.

Ioannis
privile-
gia.

Gen. 17.

Iudic. 13.

Ioannes & caput & finis est. Post hos propheta primus sunt, quorum Scriptura meminit, & ecce Ioannes plusquam propheta est. In nouo testamento Apostoli digniores sunt, idque merito. Et quid Apostolus significat, nisi legatum & missum? At de Ioanne dicitur: Fuit homo missus a Deo cui nomen Ioannes. Post Apostolos Euangelistarum dignitas potior est. An verò Ioannes Euangelista non est, qui primus regnum celorum predicauit? Quid Martyr in Ecclesia honorificentius? Et martyr Ioannes fuit. Quid magis decorum virgine? Etiam virgo Ioannes fuit. Et quis veteres illos Eremitas non est miratus? Et Ioannes eiuscemodi fuit. Quid Christiano homini decentius quam esse Confessorem, qui veritatis in omnibus confessionem teneat, siue de se ipso, siue de Deo, aliisque hominibus res agitur? An non & hoc ipsum Ioannes prestitit grauissimè? Quis vnquam egestatem suam confessus est humilior Ioannes? Non sum dignus, inquit, soluere corrigiam calciam meam Christi. Quis maiore maiestate Christi gloria predicauit vnquam quam Ioannes? Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Quis vnquam ea vehementia qua Ioannes, vitia hominum insectatus est, & coarguit? Non licet tibi, ad Herodè regem ait, fratris tui habere vxorè. Hæc omnia Ioannes cum alijs communia habet, sed longè plura in ipso conspicienda sunt præterea, ipsi propria, nulli omnium data. Neque enim vilius natiuitas tanta maiestate prædicta legitur. Isaac atque Sampson natiuitates prænunciatæ quidem sunt, sed ille solis parentibus Abraham & Saræ, hæc ruri prædicitur. Hæc vero Ioannis, in templo ipso, populis præsentibus, ac publico sub sacro. Estque illud primum. Deinde etiam qui eo modo Spiritu sancto in materno aluo repletus fuerit, nemo est. Tertiò, nemo eo modo ad Christi natiuitatem exultauit, quo ipse. Quartiò nullius alterius natiuitas tot miraculis claruit. Quintò, nullum, qui tam iuuenis, tam austeram vitæ normam secutus sit, inuenias. Elias quidem & alij prædicantur, sed nulla omnium erga hunc comparatio est. Sextò: ante eum nemo tam aperte regnum Dei prædicauit. Multi quidem docuerunt, sed alij terribilia, alij læta prædicantes, oēs sub verborum inuolucris res abditas proposuerunt: hic verò apertè. Septimò, ipsum gloriæ Regè baptizauit. Octauò. Ipsi omnium primo

primo summa illa se Maiestas apertâ atq; perspicuam videntem obtulit. Abraham tres personas vidit, sed quod illi obscurum erat, huic fit clarum. Deniq; nullum alterum, ipsa veritas tanto dignata est testimonio. Iob e-
 nim testimonium habuit Iustitiæ: David quod vir secū-
 dum Deum fuerit: Moses quod electus seruus Domini. & 45.
 Si tamen hæc cum Ioannis laude conferas, nihil sunt. At enim veritas: Amen dico vobis. Nō surrexit maior Ioā-
 ne Baptista inter natos mulierum. Quid ergo miramur
 tanti viri inter nos honorificā permanere memoriā, ni-
 mirum scientes, hæc nostro bono sic ordine instituta ef-
 se. Non sibi tantum Ioannes in medium prodijt, nobis
 potius factum est, quicquid in ipso Deus operatus est:
 Ideo tanta vehementia, in deserto clamauit, ideo ba-
 ptizauit, ideo Eliæ confertur, imò hanc ipsam ob rem
 Elias dicitur. Ideo Christus eum lucernam ardentem &
 lucentem dicit. Et vt breuissimè dicam, sic vbi Christus
 quicquam efficit, Ioannes præcedat necesse est. Illic Eu-
 angelium rectè ingreditur, vbi Ioannes anteambulo
 prius intromissus est. Ita Dei ordinatione institutū est,
 ita Christus disposuit, Ecclesia obseruauit, ita etiā vsque
 ad Mundi finem perdurabit. Plurima Neotericorū pars,
 quæ falso sibi Euangelicorū nomen vendicat, vehemē-
 ter de Christo superbiunt, nec ideo culpari merētur: sed
 nisi Ioannem præcedere feceris, hoc est, nisi leues im-
 piasq; hominum mentes lege iudicioq; Dei perterrese-
 ceris, admodum parum Euangelij sermo efficiet. Opti-
 ma profecta diuinæ sapientiæ ordinatio est, tantum si ea
 nobis rata esset. Agite ergo Ioannem mentis oculis in-
 tueamur, ipsiusq; doctrinæ vocē audiamus, sic enim rectè
 Christum suscepturi sumus. Quam illæ vitæ doctri-
 næq; regulā secutus sit cogitemus, & sic Christi Euāge-
 lium commodius, maioreq; cum fructu auscultabimus.
 Id ergo vt faciamus Christi nos gratia adiuuet, Amen.

S E R M O S E C V N D V S.

EQuidem neminem vestrū, quasi indignum quid fieri, iudicaturum esse confido, tanta quod hodie cum honorificentia, Ioannis Baptiste, memoriam in Ecclesia celebramus. Neque enim admodum præclarum speratæ pietatis ederet indicium, quisquis isthæc

T 5 carpere

carpere adhuc præsumperit, imò ne quidem legisse Euangelium, aut vllò erga pietatem affectu moueri sese proderet, quorum alterutrum Christianum hominem vehementer dedecet. Quis enim Christianum censeret eum, qui aut Euangelium planè nesciret, aut nulla solitudine quæ pietatis sunt curaret? Toties quidem Euangelia, Ioannis huius mentionem faciunt, vt non possit non agnosci ab ea cui illa vel semel & obiter lecta sint; tum etiam tam præclara de ipso scripturæ tradunt, vt si cui vel minima Christiani sanguinis guttula infusa fuerit, non possit non & amare eum, & qui omnibus piè credentibus imitandum exemplum proponatur, dignum iudicare. Vt aut & simplicioris ingenij homines intelligant, quid in hoc viro tantopere Ecclesia miretur, agè duas easque legitimas huius festi causas adferam. Prima harum est, quod hic tantus præceptor primus in nouo testamento Christum in carne venisse, aperte prædicauit. Apertè inquam: Antea enim & alij, vt Angeli, Maria, Elizabeth, Zacharias, Pastores, Simeon, Anna, multa de Christo loquuti erant. Sed paucis præsentibus. Hic verò primus clare atque aperte Christum prædicauit, idque ea felicitate vt omnium applausu, omnium ad se raperet fidem. An forte indignum ea propter erit, si pij semel tantum quotannis secum cogita uerint, per quos Euangelicus sermo primum in orbe intonuerit, & quomodo? Et hæc prima huius festi diei causa est. Altera est, quod Ioannes non modò Christum in orbe prædicauerit, verumetiam ipse quoque Christianus fuerit, isque non claudicans, nec verbis modo, sed rebus, totus, & ipso etiam factus. Talisque non demum senex factus est, sed ex vtero matris natus est. Nec aliquo tantum vitæ sue tempore, sed per omnem vitam talis esse perseverauit. Itaque in ipso non modò strenuum prædicatorem, verumetiam perfectum Christianum videmus propositum, quæ duo plurimè sanè facit Ecclesia. Quamquam nostro hoc seculo, vtrumque vehementer vacillet, ita prædicatio, quam pietas & deuotio. Pauci admodum sunt, qui Ioannis gravitatem, veritatem, constantiam in prædicando ostendant: pauciores, qui vitæ ipsius asperitatem, sanctitatemque exprimant. Et quæ

Causain-
futu-
sti huius.

quæ

quę facies potest esse Ecclesię, vbi nec predicatorum nec auditorum suum satisfaciunt officium? His enim duobus, doctrinę nimirum & vitę veritate pietateque Ecclesię constat & conseruatur. Quomodo enim Christiani ab Iudeis, Turcis, separamur, nisi his duobus? Tolle ab Ecclesię hæc duo, & Turcis meliores nõ erimus. Quę cum ita sint, utiq; vt in pristinum redeat statum, laborandum est vehementius. Et quidem huic rei plurimum conduceret, Ioannis exempli obseruatio. In ipso enim exemplum habemus propositum, & Christianę doctrinę, & pię vitę, vtrumq; in summo gradu. Propterea & mihi nõnihil porro de eo dicendũ est. Nihil enim vtilius fructuosiusque in Ecclesię fieri posse arbitror, quàm si exempla eorum, qui prima Ecclesię fundamenta posuere, diligenti cura considerauerimus. Illic enim mox apparebit, quàm infirma sit, quāq; ab antiqua illa virtute defecerit Ecclesię, in qua nec doctrinę veritas, nec vitę cõspicitur pietas. Quare p̃ij quiq; ad orandum Deum accendantur, suā vt ille gratia, tales viros nostris quoq; temporibus excitet, qui collapsam Ecclesię erigant, eamque in cõseruatione eius, quod bonũ dicimus, seueritatem, quā olim plātatores illius, exhibeant. Sed ipsum Ioannē consideremus. Primò igitur oĩm, cogitemus, quomodo Christus Euangelicę suę doctrinę semen non per leues vilesq; quoslibet homines, sed per cordatos, iustos, sanctos, ac graues viros, primũ in terris disseminauerit, trāsp̃lantaueritq;. Et horũ alij quidē licet sciētia, arte, diuitijs præditi, clarisue natalibus orti essent, quę hic mūdus miratur, & suspicit, magnā ipsis tamē fides, dilectio, veritas, æquitas, iustitia Dei, timor, idq; genus alię virtutes, auctoritatē tribuerunt. Et quod mundanę maiestati decrar, spiritus sanctus abundē gratia sua suppleuit, eamque æstimatione eorum fecit, vt & Mundus eos miraretur, potentes reuererentur, hostes etiam insensissimī laudare cogeretur. Atque ita fieri necessum erat. Neque enim leues quique hominum, eò rem deduxissent, nec fidem in Mundo meriti fuissent. Propterea Paulus ait: Ego, in 1. Cor. 2. infirmitate & timore & tremore multo fui apud vos: & sermo meus, & prædicatio mea non in persuasibilibus humanę sapientię verbis, sed in ostensione spiritus & vir-

1. Co. 1.

virtutis, vt fides non fit in sapientia hominum, sed in virtute Dei. Quanquam idem ipse Paulus alibi, quidem scribit, quæ stulta sunt mundi elegisse Dominum, vt confunderet Sapientes: & infirma mundi elegisse, vt confundat fortia: & ignobilia mundi & contemptibilia, & ea quæ non sunt elegisse, vt ea quæ sunt, destrueret, minime tamen stulta hæc atque infirma de mundi amicorum stoliditate, vitæque leuitate, (id quod moderari predicatorum persuadere conantur) interpretanda sunt. Illi sanè scurrilitatem, petulantiam, imò malitiam lasciuiaque vitæ, infirmitatē illam cuius Paulus meminit, interpretari non erubescunt. Hinc est, quod si quando ipsos eas ob res arguas: plenis buccis proclamant, Deum infirma mundi elegisse. Sic voluptuariam vitam suam excusant, defenduntque; ac reliquum vulgus in nocētissimam persuasionem inducunt, quasi Deus nullam vitæ cuiusque qualitatem respiciat, tantum egregiè vociferetur & prædicet. Sed longè secus sese res habet. Non enim eam, quam tu intelligis, infirmitatē Paulus intelligit: nec vspiam, quod Christus eiusmodi infirmos elegerit, nempe leues, mundanos, carnales, sineque omni timore Dei

Matth. 9. viuentes, scriptum legimus. Matthæus quidem secundū mundum vixit, sed priusquam vocaretur, postea enim multū mutatus, quasi sui dissimilis factus est. Et vt breuissimè dicam, non illa in primis illis Euangelij prædicatoribus, quam nostrum aliqui prætendunt & excusant, infirmitas, quam rectiùs malitiam dixeris, fuit. Homines haud dubiè fuerunt, nec perfectè à peccato immunes vixerunt, non tamen carnalis, mundo conformata, aut iners otiosaque; vita ipsorum fuit, sed planè seuerata, grauis, sancta: Cuius sanè rei Ioannes exemplum est luculentissimum. Primus ille fuit, qui Christo aperta prædicatione seruiuit, & ad hoc ministerium non sese ingessit, sed à Deo vocatus est. Ita enim scriptura de eo testatur. Fuit homo missus à Deo, cui nomen erat Ioannes, hic venit in testimonium, vt testimonium perhiberet de lumine, vt omnes crederent per illum. Ecce hic tibi nomen & personam, officium, vocationemque eius. Arduum profectò officium, recte Christi præire, ipsum ostendere, viamque; eius præparare. Vnde non quilibet ad hoc

Ioan. 1.

hoc munus eligi debuit. Nouus quidē & peculiaris homo requirebatur, quem ad hanc rē Deus ab æterno pręuidisset, electumque ordinasset. Ecce, inquit Dñs, ego mitto angelum meum ante faciem tuam quę pręparabit viam tuam. Ac si diceret ante te. Meum, inquit, angelum, Plures quidem alios nuntios, Angelos atq; homines habeo, quorum ministerio in alias res conficiendas vtor. Verũ huic negotio singularem quendā quęsiui, quem ideo meum dico, quod prę alijs ipsum elegerim pręordinauerimq; . Et hic pręter Ioannem nemo fuit. Id quod Christus ipse testatur dicens : Hic est de quo scriptum est. Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui pręparabit viam tuam ante te. Vt ergo omnes talem eum crederent, Deus ab initio ad finē vsq; magna in ipso operatus est, miraculisq; conspicuũ omnibus fecit. Primò enim egregia eum familia, pijs sanctisq; parentibus, non sine miraculis, concipi nasciq; fecit. Deinde etiam antequam nasceretur officium vitęq; modum per Angelum edocuit. Tertio & nomen illi, tale omnino, vt officio per omnia conueniret, per eundem Angelum indidit. Quarto spiritu sancto eum adhuc ex vtero matris donauit. Quinto pręclara etiam in natali ipsius signa edidit. Deniq; in pudicitia innocentiaq; eũ immaculatum ad finem vsq; custodiuit, ita vt omnibus, hic, tanquã nouus aliquis homo esset mirabilis. Verũ an fortē sine causã factum arbitrabimur, quod hunc talem, non alium filij sui ante ambulationem primumq; pręconem Deus habere voluerit? Minimè. Qui enim nouit corda hominum, utiq; non ignorauit, morum vitę grauitatem permultum ad verbi doctrinęq; laudem cõfirmationemq; facere. Id quod in Ioanne videre est. Nemo vnquam Prophetarum tanta cum diligentia auditus fuit: nemo hominum mentes, eo quo hic modo, permouit, quin reliqui Prophetę, vbique de obduratis hominum mentibus conqueruntur & clamant. Sic Isaias fecit, cum ait: Domine quis credidit auditui nostro? Et: Expandi manus meas tota die ad populum incredulum, qui graditur in via non bona, post cogitationes suas. Et iterum: In vacuum laboraui, sine causã, & vanē fortitudinem meam cõsumpsi. Sic & Ieremias clamat: Vē mihi

Mala. 3.

Matth. 11.

Isai. 53.

Iere. 19.

mater

mater mea. Quare genuisti me virū rixæ, virum discordiæ in vniuersa terra? Omnes maledicunt mihi. Et Michæas : Væ mihi, inquit, quia factus sum sicut qui colligit in Autumno racemos vindemiæ. Non est botrus ad comedendum, præcoces ficus desiderauit anima mea. Et quia Israël audire recusauit, Ionas propheta in Gentes prædicaturus mittitur. Idem etiā Ezechieli dicitur: Domus Israël nolunt audire te, quia nolunt audire me. Verū Ioanne hoc nostro prodeunte, turmatim accurrūt, proceduntq; obuiam, ciuis, agricola, Sacerdos, laicus, publicani, stipendiarij milites. Quæris vnde verbis illius tanta virtus insit? Vtiq; Dei opus erat, qui mētes hominum ad Christum adduxit, traxitq;, ad quem nemo, nisi à Patre tractus venit. Præterea & illud non parum auctoritatis verbo addidit: quod omnibus cognitum esset, quāta in ipso Deus ab infantia miracula edidisset, quod ipse piē sanctaq; in deserto vixisset: nemo verō vllius mali in eum vel suspensionem haberet. Alij propheta, in mundo, in hominum ceto, vbi nemini sine crimine licet viuere, agebant. Vnde illorū sermo non eundē effectum sortitus est. Cuius enim vita sordidatur, eius sermo facile despicitur. Id quod in nobis ipsis satis apertē experimur. Quid enim est, quod ea verbi non nūc est virtus, quæ olim esse solebat? Haud dubiē iusto Dei sit iudicio quod excēcati, nec videmus nec audimus. Deinde & illud nō parū impeditenti adfert, quod nullus Ioannes nunc reperitur, hoc est, gratiæ donum amplius in prædicatoribus non lucet. Contritio pœnitentiæ nusquam in illis consideratur: Nouus, Christianæ nouitatis, homo, non apparet: Christi imitatio nulla est in ipsis: & vt vao verbo dicam, diuinus ille spiritus in ijs nō videtur, quos spirituales vocitari delectat. Neq; enim quicquam præter mundana, carnalia, superbia, auaritia, vitæq; turpitudine in nobis conspicitur, & cur miramur sermonem nostrum sine fructu perire? Nostra causa nomen Dei, verbum, honosq; negligitur, contemnitur, blasphematur. Et proculdubio sine difficultate verbum Dei priorem efficaciam sortiretur. Nos si pelles Ioannis, hoc est, spiritum vitamq; ipsius indueremur. Non sine causa veteres tot statutus piam esse voluerunt spiritualium hominum

num

num vitam, imò non frustra Paulus quid Episcopum
 quid Diaconum, & in his omnes Ecclesiasticos ordi-
 nes deceat, præscripsit. Nempe Ecclesiam non solùm
 verbis conseruari, verumetiam impietate vitæ labefa-
 ctarier agnouerunt. At nostra ætate, non modò Cano-
 nes & statuta, sed ipse etiam Paulus despicitur. Quam
 autem excusationem prætendentes olim in magna illa iu-
 dicij die, quando quod tua vitæ impietate verbum Dei
 alijs in risum abierit, de culpa redarguet? Ist hæc fra-
 tres diligenter cogitemus. Neque enim sine causa Deus
 talem Ioannem initio habere voluit, imò verò te quo-
 que eiusmodi virum vult, qui si non fueris, periculo-
 sissimè habitas. Quæ si nobiscum cogitaremus, præse-
 ctò vndique nos premerent angustia: nos, inquam Ec-
 clesiasticos tantæ vndeque sollicitarent curæ, vt ne-
 mo hos sibi ordines illo tam graui æris pondere cõme-
 ret, multoq; minus vi, dolo, totque hominum imme-
 rentium cruore in eos sese intruderet. Sed nulla nos hu-
 ius rei cura tangit, qui honores magnificosq; titulos &
 commoda huius temporis venamur. Sed quid Dei vox
 clamat? Scio, inquit, opera tua: quia nomen habes quod
 viuas & mortuus es. Esto vigilans, & confirma cætera
 quæ moritura erant. Non enim inuenio opera tua plena
 coram Deo meo. In mente ergo habere, qualiter accepe-
 ris & audieris, & serua & pœnitentiam age. Si enim
 non vigilaueris, veniam ad te tanquàm fur, & nescies
 qua hora veniam ad te. Hac igitur ratione abundè satis
 dictum esse arbitror, de persona Ioannis. Nunc porrò &
 prædicationem illius consideremus. Hanc verò partim
 in Matthæo, Marco, atq; Luca scriptam legimus, vbi in
 hæc verba de Christo loquitur: Non sum ego Chri-
 stus. Ego quidem baptizo vos in aqua in pœnitentiam. Venit
 autè fortior me, post me, cuius non sum dignus vt
 soluam corrigiam calciamentorum eius. Ipse vos bapti-
 zabit in spiritu sancto & igni. Cuius ventilabrum in
 manu sua, & permundabit aream suam, & congregabit
 triticum in horreum suum, paleas autè comburet igni in-
 extinguibili. Hæc aliq; id genus multa monet refertq;
 ad populū. Verùm in Ioanne expressius aliquatò, quod
 huius viri de Christo testimonium fuerit, describitur.

1. Tim. 3.
Tit. 1.

Apoc. 3.

Matth. 3.

Mar. 1.

Lucæ. 3.

Ioan. 1.

Ecce,

Ioan. 3.

Ecce, inquit, agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Hic est de quo dixi. Post me venit vir qui ante me factus est, qui prior me erat, & ego nesciebam eum. Sed ut manifestetur in Israël, propterea veni ego in aqua baptizans. Et testimonium perhibui, dicēs: Quia vidi spiritū quasi columbam descendente de cælo, & mansit super eū, & ego nesciebam eum: sed qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: Super quem videris spiritum descendētem, & manētem super eum, hic est, qui baptizat in spiritu sancto. Et ego vidi, & testimonium perhibui, quia hic est filius Dei. Et iterum: Ipsi vos testimonium perhibetis quod dixerim, non sum ego Christus, sed quia missus sum ante illum. Qui habet sponsam, sponsus est: amicus aut sponsi qui stat & audit eum, gaudio gaudet propter vocem sponsi. Hoc ergo gaudium meū impletum est. Illum oportet crescere, me autem minui. Qui deorsum venit, super oēs est. Qui est de terra, de terra est, & de terra loquitur: qui de cælo venit, super omnes est. Et quod vidit, & audiuit, hoc testatur, & testimonium eius nemo accipit. Qui autem accipit eius testimonium, signavit, quia Deus verax est. Quem enim misit Deus, verba Dei loquitur. Non enim ad mensuram dat Deus spiritum. Pater diligit filium, & omnia dedit in manu eius. Qui credit in filium, habet vitam æternam: Qui autem incredulus est filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eū. Ecce, hic Ioannis de Christo sermo est, in quo omnia ea quæ recte ac necessario de Christo sciuntur atque creduntur, comprehensa sunt. Agnum eum vocat, quo nomine, & innocentiam eius, & mansuetudinem, & sacrificium innuit. Sed & peccata tollentem, & spōsum & Dei filium ipsum nominat. Quid autem præstantius de Christo expectare potes? Sed hoc quoque considera: quod Ioannes non modò Christum prænuñciauerit: verumetiam viam ipsi præparauerit: idque partim durioribus verbis, ut superbas elatasque mentes, hoc est, Pharisæos in disciplinam artraheret, partim etiam amicis atque blandis, quibus valles exaltaret, hoc est, pusillanimes, & pro peccatis timidos cōsolaretur: ita planè ut nimium securos minis terreret: duos prauosque doctrina corripere: omnes ad poenitentiam adduceret.

Hoc

Hoc modo Domino viam præparauit Ioannes, non vno dicendi genere contentus, sed pro hominum captu, conditione, atque ordine sermonem attemperauit. Id quod Angelus de eo prædixerat : Multos filiorum Israël Luc. i. conuertet ad dominum Deum suum. Et præcedet ante ipsum in spiritu atque virtute Eliæ, vt conuertat corda patrum in filios, & incredulos ad prudentiam iustorum, parare domino plebem perfectam. Eiusmodi prædicatores, qui docendo delectum haberent, etiamnum plurima efficere possent. Sed & hac parte laboramus. Non enim auctoritatem personæ Ioannis tantum non habemus, verum etiam nec sapientiam nec intelligentiam eius, tantumque Christum prædicamus, at viam illi non præparamus. At quam viam, quæris? peccato sepultis conuiuius, nec corripimus, nec reprehendimus, qualescunque homines sint, nihil moramur, tantumque gratiam egregie proclamamus: & quid est, quod ad tam paucos Christum venire, obsitis nimirum vijs peccatorum repagulis, tam plenam esse Ecclesiam, phariseorum, impiorum, Horrodorumque, miramur? Ioannes, nempe, qui Domino viam præpararet, deest. Restat tertium, quod, & ipsum in Ioanne considerandum est: Nempe, perfectum illum ingenuumque fuisse Christianum, hoc est, diligentem, imitoremque Christi, Idque per omnem vitam ipse: ita, vt omnibus nobis cuiuscunque conditionis perfectum satis exemplum esse possit. Innocens ille puer, pudicus iuuenis, grauis adolescens, honoratus sanctusque vir, egregius prædicator, Martyr denique patientissimus, fuit. Hinc quisque suæ & ætati & conditioni exemplumumat. Si puer es, innocentiam eius sequere: Iuuenis, pudicitiam cole: adolescens, grauitatem imitare: vir, seueritatem, honorificentiam & sanctitatem: prædicator, virtutem, zelumque: ad Crucem vocaris, patientiam, equanimitatemque illius sequere. An non felix ille Ecclesiæ status, si eiusmodi Ioannes & prædicatores, & auditores haberet? Agite ergo pro virili pellem nostram mutate, & Ioannis induere studeamus, si modo pacem felicitatemque volumus. Et hæc quidem breuissimè de D. Ioanne nostro dicta sint. Gratia Dei nobiscum. Amen.

SERMO TERTIVS.

DE Ioanne cuius hodie per omnes Ecclesias, magno gaudio celebramus natalem, tãta & tam multa, nõ modò homines, verumetiam Angeli, ipseq; adeò Christus locuti sunt, vt rectè, nemo mirari possit, tantam ei⁹ apud nos permanere memoriã. Priùs enim q̃ in vtero cõciperetur, ea de ipso Angel⁹ p̃dicabat, vt Zacharias futurus pater, si possibilia essent, miraretur. Deinde ipso iã nato recēs, illa diuinorũ operũ maiestas circa vicinia clarescebat, vt mirarètur hoies atq; diceret: Quis putas puer iste erit? Postremò etiã iã penè peractò delegato sibi munere, ipse Christus eius dep̃dicat laudes: Angelũ eũ dicit & prophetã imò & plusquã Prophetam. Pãlam, maiore inter mulierũ natos surrexisse neminem, Ioanne Baptista, testificans, vt taceã interim, inter impios quoq; Iudæos, tantam eius autoritatẽ, existimationẽque fuisse, vt Christus ipse putaretur. Eiusmodi igitur cũ fuit Ioãnes, nemo & hic quẽdã de eo audire grauetur. Difficilẽ enim aliũ quenq; in omnibus alijs, qui vtilior cõmodiorq; Ecclesiã fuerit, sitque etiamnum, inuenies illo. Tria igitur cõsideranda sunt in ipso. Persona, officium, ac fructus illius. Personã quidẽ proprietatẽ, Angelus exprẽst, cũ ait: Erit magnus coram dño. Sanè magnus, non secundum exteriorẽ mensuram, hoc est lõgitudinem latitudinẽque corporis: sed magnus coram domino, magnus in matris utero, magnus in natiuitate, magnus in iuentute, magnus in perfectã viri etate, magnus vita, magnus in passionẽ. In bonam enim terram plantatus, multo imbre diuinã gratiã irrigatus, magis creuit, seq; ipso maior factus est. Primo enim materna in aluo magnus erat, spiritu enim sancto impletus fuit. Et quid præstantius? Inde enim Christum priùs seipso agnouit: prius predicauit, quã fari posset: imò prius cœlum apprehẽdit, quã terram attingeret. Et quis hanc procacẽ Ioannis magnitudinem non miraretur? At quæris, quæ tibi hinc utilitas sit? Hic, vt & ipse crescas, precare: quin & gratias age, iamdudum tibi quoque spiritum sanctum dedisse Deũ, tum in ipso vt augeare, labora. Ideo enim Deus sua dona clargitur manifestè, vt alij isthæc considerantes, ad precandum moueãtur. Secus diuites nostri faci-

faciunt, qui clam erogan, ne plus postea & alijs erogare
 necesse habeant. Hoc ergo primum, in Ioanne confi-
 derandum est. Fuit deinde & in natiuitate magnus, ita
 plenè, vt non solum parentibus, verumetiam omnibus
 alijs, hæc videntibus, audientibusque admirationi esset.
 Omnes enim cum ipso manum Domini, adesse intelli-
 gebant. Vnde certatim ad laudem Dei erumpebant.
 Benedictus Dominus Deus Israël: Zacharias clamat.
 Hæc ergo in ipsa natiuitate contingere: hæc illa, quæ
 Angelus prædixerat, gaudia sunt. Atque vtinam in no-
 bis quoque contingerent eiusmodi. Nos mensas instrui-
 mus, conuiuia apparamus, natis liberis, his nobis gratu-
 lamur leuitatibus, cū rectius & pro merito precaremur
 benediceremusque Deum: Vnde liberos nostros, aut
 nunquam, aut certè serò, coram Domino magnos fieri,
 sequitur. Tertiò, etiam in iuuentute Ioanes coram Do-
 mino magnus fuit. Nam & Domum paternam reliquit,
 & gaudia vana contempsit, & mundum refugit, seque
 ad desertum contulit. Animam enim bonam consecu- Sapien. 8.
 tus, corpus immaculatum custodire studuit. Id quod
 difficillimè in hoc Mundo fit. Qui enim tangit picem, Eccl. 13.
 inquinatur ab ea, & cum peruerforum conuersatione, Psal. 17.
 facile peruertitur, & corrumpunt bonos mores, collo- 1. Cor. 15.
 quia praua. Quicquid animam coinquinare potest,
 omne inuisum Ioanni est: Conuenientius atq; salubrius
 arbitratus, solitarium, aut cum feris esse, quam cum im-
 pijs: Id quod vtinam illi considerarent, qui liberos suos
 in mundi medio cõmorari cõpellunt, ipsorumq; eo ipso
 magna perditionis horrendæ causa sunt. An non re-
 ctius cum Ioanne, in desertum eos cõmitteremus, vbi ma-
 gni coram Deo succrescimus? In mundo deficiamus de-
 crescimusq; Id quod ipse etiam Dauid rex considerauit, 2. Reg. 11.
 qui in deserto positus, multos egregiæ pietatis compo-
 suit Psalmos, verum in mundum rediens, in adulterij
 crimen lapsus est. Et Moses quidè deserti accola, ita vi- Exod. 3.
 res sumpsit crescens, vt etiam Deum videre atque audi-
 re posset. Sic etiam Elias. Et quid multa? Quis enim, in 3. Reg. 19.
 quam celsitatem ac magnitudinem Ioannes in deserto
 positus excreuit, non videt? Dicere quis potuisset, ec-
 quid in deserto desideret? Cui proficit? Sed cum definiti
 illi

illi tempus aduenisset, ea autoritate progreditur, vt omnium in se tanquam in nouum hominem, raperet oculos. Nunquam sanè tantus in Mundo creuisset. Hæ ratione veteres Credentes, liberos suos ab ineunte ætate è Mundo extractos, desertis commiserunt, hoc est, ijs locis, vbi Dei timorem, pietatemq; addiscerent, quales cœnobita olim fuerunt, tradiderunt. Tum si quando requireretur vnus aliquis Ioannes, deserta illa, nimirum pietatis Scholæ, plures dabant. Id quod vehemèter è re sua esse, Ecclesia didicit. At nos, quæ huius seculi est peruersitas, mundum refugientes, seque negotijs tumultuarijs abdicantes, diuisi prosequimur, quasi verò otiosi inertesque sint, nullusq; præter mundi externaq; impedimenta, labor superfit. Sic Martha Mariam sororem desidem iudicabat: Sed Christus longè secus docet. Verum crede mihi: verbo Dei occupari, orare atque contemplari, non est otium. Populus Israëliticus, Exod. 17. olim ad pugnam procedentes, otiosum esse Moysen arbitrabantur, sed plus omnibus laborauit. Et sanè Ioannē quicquam mechanici exercuisse non legimus, verumtamen otiosus non fuit, somnolentia enim, aut inerti otio, ad eam perfectionem nunquam peruenisset. Vigilantia autem, & abstinencia, & oratione is tantus euasit. Sed de hoc satis. Quartò, & in vita Ioannes magnus fuit, maximè quod tam valide Mundo, ac carni renunciauit, hoc enim ipso, multò maior illis cœfendus est, quos aliquādo Mundus, magni, noīe dignatus est: vt Alexander, Pōpeius & alij, qui licet magni essent, concupiscenciarum & appetitus tamen erant mancipia. Fuit autē & prædicatione Ioannes magnus. Et hæc ipsius magnitudo olim per Prophetas prænūciata fuit. Malachias enim, Malach. 3. Angelum eū dicit, Isaias clamātem vocē prædicat. Neq; Isaiæ. 40. id frustra: Tam vehemēti enim sonitu pertonaui omne illam regionē, vt etiam oēs accurrerent, publicanos atq; peccatores conuerteret, sed & Cædros Libani, hoc est, Herodes, Phariseosq; elatos agitauit, mouit, conculsit. Ecce hæc ipsa Ioannis persona fuit, atq; modò est. Eum hominem D E V S Ecclesiæ suæ primū præposuit, in quo successores sese, tanquam in speculo quodam contemplarentur. Vtinam sæpius ipsum contueremur. Sed quod

quod officium ipsius? Breuiter, idem illi, quod & Legi, officium fuit: nempe, parare Domino viam, atque de Christo testificari. Sed lex hoc modo Christo viam præparauit, vt primò peccata hominibus sua ob oculos proponeret, deinde mox Christum ostenderet. Eadem & Ioannis prædicatio fuit, cuius exordium, pœnitentiæ doctrinam habebat, deinde agnum Mundi peccata tollentem monstrabat. Hanc viam etiamnum in nobis Ioannes præparat, pœnitentiæ enim prædicatio, ad peccatorum agnitionem, ad contritionem commissorum vocat, præterea etiam ad medicum ducit Christum, tot testimonijs. Atque vtinam idem fructus nunc sequeretur, qui olim dum ipse prædicaret. Sed à diebus Ioannis Baptistæ, inquit Christus, regnum cœlorum vim patitur. Et in hodierna lectione: Reges videbunt, & cōsurgunt Principes, & adorabunt Dominum Deum. Hic fructus est, qui ex memoria festoq; Ioannis metiri debuit, nempe, vt ardentius incumberemus, regnum Dei ad nos attrahere, quando eam ob causam Ioannes missus, venit, atque Dei gratiam vbique prædicare exorsus est. Sustollamus igitur oculos, & natos nos in hæc gratiæ tempora, lætemur. Gratia Dei nobiscū, Amen.

Ioan. 12.

Matth. 11.

SERMO QVARTVS.

*Quando hoc festū cum S. S. corporis Christi solennitate
coincidit.*

MIrè hoc anno festi dies, & mihi quidem, quæ nūc mea est conditio inconuenientissimè coincidunt.

Duæ enim hac vna die solennitates festiue, ambæ celebres obtingunt: prima est ordinati Sacramenti commemoratio: altera Ioannis Baptistæ memoria: Vtraq; plena suauitatis atq; cōsolationis est, vtraq; etiam Euangelij fundata firmissimè. Primò enim haud facile quicquam in Euangelio, ab Euangelistis diligentius, consolantius, conformiusque, præter huius Sacramenti institutionem, perscriptum inuenies. Cuius rei cuilibet obuia sunt testimonia, in Matthæo, Marco, & Luca: Tum etiam in prima ad Corinthios. Id verò singulare meretur & festiuitatem & sermonē, præterea & hoc constat, post Christū, hominem esse nullum, cuius

Matth. 26
1. Cor. 11.

Marc. 6.
Math. 14
& 11.

vel honorificentior memoria sit, vel maiore cum maiestate describatur natiuitas, quàm Ioànīs Baptistæ. Primò enim in Marco legimus, quod ipse etiā Herodes Ioannē timuerit, sciens eū virum iustū & sanctū. Deinde populus vniuersus non iam Prophetam eum, sed ipsum etiam Messiam arbitratur, reuereturq; . Tertiò & ipse Christus maiora illi testimonia contulit, cum inter natos mulierum non surrexisse maiorem Ioannē Baptista, asserit. Id quod & ipsum proprio sermone explicandum esset, priuataque festiuitate commemorandum. Et quidem quod ad vtranque festiuitatem attinet, concurrentibus hoc anno duobus, in vnam diem festis, perappositè factum est, vt cuique propria deputata sit dies, & hodie S. S. corporis & sanguinis Christi memoriam: ac sequenti die Ioannis Baptistæ natalem celebremus. At sermo deerit, vt enim nunc me affectum sentio, vosque ipsi debilitatum intelligitis, crastinus sermo prætermittendus mihi erit, si modo Dominica die sermo mihi habendus erit. Quanquam & aliàs quoque sextis ferijs, concionari admodum parum volupe mihi est: nimis, hic: non enim conueniunt, Euangelij concio, & nundinæ: Christus & Belial. Veruntamen maximus mihi dolor est, si quando (Deum testor) sermo mihi intermittendus est: maxime verò cras, quod Ioanni solēnis dies, meumq; festum est, non solum ideo quod Ioannes ipse dicar, illoq; die natus sim: verumetiā ac multo magis, quod hoc die primam in hac æde concionem habuerim. Atq; hic quidē septimus annus est. Verū secus nunc fieri non potest. At ne omnino inconsideratè nobis prætereat Ioannes, huius sermonis exordio deseruiet. Et quis decētius id Ioanne facit? Quisue nouit melius? Si Christo viam parare potuit, vt certatim omnes accederent publicani, milites, qui ante nec Deum, nec propriam salutem curabant: profecto & nobis viā præparabit, occasionemq; eorū quæ ad hanc festiuitatē pertinent, dabit. Atque vtinam hac festiuitate eiusmodi Ioannem haberemus, qui non nudis incederet verbis, sed in spiritu atq; virtute Eliæ præiret: talis omnino hominum mentes accendere ad amorem reuerentiāq; huius sacramenti posset, vt eodem, quo patres nostri, sensu ambu-

ambu

ambularemus. Imò vero, vtinam vel vnà Ioannis prædicationem cõprehenderemus, quæ sola digna huic festæ diei foret exhortatio. Et quæ illa Ioannis prædicatio? Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mûdi. Quid autem tota hæc festiuitas, nisi acclamatio quædam est huiusmodi? Cur nunc denuo sacramenti huius peragitur memoria? Cur non ipsa institutionis die dictis quiescimus? Imò cur toties nobis ostenditur Sacramētum? Et quam ob causam per plateas iuxta domos transfertur, nisi vt quasi dicatur nobis: Ecce agnus Dei, Ecce qui tollit peccata mundi? Admonemur nimirum, cogitemus quāto pretio conempti sumus, quomodo Deus pro sua misericordia atq; gratia nostri curam gerens, tam ineffabili Charitate præuenerit nos, & quod omnes tantæ gratiæ participes simus. Hæc enim omnia Ioannis verba cõplectuntur: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. His enim Christum immolandum, quemadmodū olim agnus in Aegypto, suo q; sanguine hostem subacturum significauit. Ecce agnus Dei, atq; gratia factū esse indicauit. Ecce qui tollit peccata mundi. Quod enim nō vnius hominis, sed Mundi, dixit: hoc ostendit, quod omnes in ipso saluari possint. Et quid nobis magis necessarium eiusmodi exhortatione? Tribus hic mundus vicij laborat, certissimum toti orbi exitiū, maximè his partibus, allaturis. Primum est: tanta violentia abundare iniquitatem omniū. Secundū: omnē erga Deū diuināq; omnia deuotionem Charitatemq; refriguisse. Tertiū oēs nos inuicem disiectos esse. Hæc sunt, inquam, quæ nobis certissimam calamitatē superinducūt. Extincto enim in nobis deuotionis ardore, suā quoq; Deus à nobis manum subtrahit. Abundantē iniquitatē pœna seqtur iusta, nec tardabit: sed & disidijs animorū concordia rūpentibus, pessum iri oīa necessum est. Quid verò tanto huic malo rectiūs tēpestiuiusq; obuiare posset, præter hanc festiuitatem, atq; Ioannis sermonē? An possibile est, tanta pertinacia, proteruia, impietateq; nos in varia scelera leuitatesq; præcipituros esse, si magno nos coemptos pretio cõsideraremus? Ecce agnus Dei, clamat ille, ecce atque cõsideratē Christo inaugurati oēs, pro vobis immolatum agnum? Deinde, an tāta esse poterit ingratitudo, irre-

Ioan. 1.
Exod. 12.

Triples
in mūdo
vitiū pe-
stiferū æ
clesiæ.

do, irreligiositas nostra, tā enormis acedia erga Dei cultum, tam impudēs fœcordia erga oēm pietatē erit, si quā nobis per Christum dilectionē beneficētiāq; pręstitit Deus diligentius cogitauerimus? Ecce agnus Dei Ioānes ait: Videte & cogitate nō modo agnū qui pro vobis passus est, verum etiā Deum vestrū, qui sic mundū dilexit, vt filiū suum daret vnigenitū, vt oīs qui credit in illū non pereat sed habeat vitā æternā: Et hoc secundū. Tertiō: An fortē ita nos dissipabimus, inuicē cōtemnemus, maledicturiue sumus, an tātis furijs, alter in alteri⁹ perditionem cōcitabimur: si Christū pro oibus simul mortuum fuisse, vt mediū inimicitiarū parietem tolleret, ex duobus, imō oibus populis, vnā Ecclesiā formaret, in qua vnicus baptismus, vna fides, vnus Deus, vna vocatio, vnaq; spēs esset, cogitauerimus? Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Videte atq; cogitate Credentes, inq; huius sacramenti aspectu cōsiderate, summa vos colligatos dilectione, vt vnus essetis panis, qui oēs de vno pane participatis: vnum corpus, qui vnus vos capitis membra agnoscitis. Ecce quomodo & Ioannis prædicatio, non autem festum hoc tantū, à pētis abstergere, ad pietatem incitare, inq; vera vnitatem conseruare possit. Et quid nobis vniuersęque Ecclesię obtingere posset vel melius vel vtilius? Quando igitur vna hac die cum Sacramentū tum Ioannis festiuitas cōueniunt, agē quisquis ingenuē Christianus es, tu quoq; vtrunq; cōiunge, & quotiescunque Sacramentum illud videndum datur, sit, quasi Ioannes iuxta staret, atque ter accineret: Ecce agnus Dei. Hęc pro peccatis vestrīs victima est, hęc certissima plenę dilectionis Dei arra est. Hoc vinculum quo colligimini credentes, in quo mutuo agnoscitis fratres atq; Domesticos. Deū immortalē, si hęc tenemus quantū hodie didicissē⁹, quā pulchrē hęc festiuitatem peregissē⁹? Hoc igitur dicere volui, quod Ioānes quoq; in hac festiuitate partem suam tuetur.

SERMO QVINTVS.

Collatio Ioannis atque Elię.

Quod in huius festiuitatis sermone exordiū longē quæram, nō est: Elię enim historia non modo exordium mihi, sed totam etiā vitam Ioannis nostri

nostri docebit. Id si quis miratur, primū, Lucæ, vndeci- Luc. 1.
 mum & decimū septimum Matthæi capita legat, & nul- Matt. 17.
 lum totius anni festū tam aptè Elię historię cōuenire, at
 que hoc ipsum intelliget. Qui sic quæris? Priusquam
 nasceretur Ioannes, in spiritu atque virtute Elię, præces-
 surus ante Mesiam, ipsiq; viam præparaturus, Prophe-
 tarum angelorumq; oraculis prædicitur. Tum Chri-
 stus ipsum esse Eliam apertè testatur, nimirum què pro-
 phetæ prædixissent venturum, atque Christū præces-
 surum esse. Omnes prophete & Lex vsque ad Ioannem Matt. 11.
 prophetauerūt, & si vultis recipere ipse est Elias, qui vē-
 turus est. Qui habet aures audiendi audiat. Et alibi inter
 rogantibus discipulis: Quid ergo dicūt pharisæi & Scri-
 bæ: quia Eliam oportet primum venire? respondit: Elias Matt. 17.
 cū venerit primò, restituet omnia. Sed dico vobis quia
 Elias iam venit non cognouerunt eum, sed fecerunt illi
 quæcunq; voluerunt. Et sequitur mox: Et intellexerunt
 discipuli, quia de Ioanne Baptista dixisset eis. Verū ne-
 mo hic titubet, quod Ioānes (vt in alio Euangelista est)
 interrogatus, an Elias esset, respondit. Non sum, similitu-
 dinem quidem habet repugnantia, sed reuera nō est. Al-
 terū enim personam respicit, alterum virtutem atq; Spi-
 ritum. Persona quidē Elias non erat Ioannes, verissime
 tamen Elias erat officio atq; spiritu. Quē enim ille quon-
 dā exhibebat zelū aduersus idolatras, eundē Ioannes in
 cōuersione populorū ad Christum, suo tempore ostēdit.
 Id quod multa demōstratione non eget. Vtriusq; enim
 historia, pari eos spiritu atque zelo fuisse præditos ma-
 nifestat, etiam si nec Angelus nec Christus ipsos con-
 tulisset. Quod enim hætenus in Elia videre licuit, idem
 in Ioanne consideramus hodie. Elias Propheta erat, erat
 & Ioannes, imò plus quàm propheta hic erat. Elias eo ip-
 so tēpore, cū idolatria feruentissima, impij perniciosissi-
 mi essent, mittitur: Ioannes quoq; cum oēs ferè promissio-
 nes Dei in obliuionē abierant, eoq; credentes diffi-
 dentiores essent, prodijt. Elię sermo vt ignis ardebat, Io-
 annis verba hominum mentes accēdebant, vt publicani
 etiam atque milites, gens alioqui impia concuterentur,
 consiliūq; & spem quæsitā acquirerent. Elias nihil cu-
 rabat Mundum, refugium quæritabat eremi, Ioannes ab Matt. 11.

infantia deferri fuit cultor, quousq; Deo iubente prædicationem suam exordiretur. Elias omnibus viribus impugnabat Impios, idē Ioannes fecit: nemini pepercit Elias ita & Ioannes. Elias Achab, Ioannes Herodē arguit. Et quid lōga collatiōe vtor? Tantū textus verba sensumque mihi sumam quem proximē recitavi, illis quomodo Elias atq; Ioannes vnus spiritus, animiq; fuerint nō modo erga Deū, verumetiā erga homines, videbimus. Audi uimus ergo superiūs, quomodo Elias Achab, nihil regis diadema veritus, acerbē corripuerit, vt qui eius facti mādatur illius qui super oēs reges est, haberet. Occidisti, ait, insuper & possedisti. Hęc ergo dicit Dominus: in loco in quo linxerūt canes sanguinem Naboth, lambent quoque sanguinem tuum. Quibus verbis Achab nihil respondit, nisi quod diceret: Inuenisti me inimicum tibi? Quod vt quid mihi repugnas, nūquā a me laesit. Vbi rectē colligetur Regem timuisse Prophetā, & non contrā. Propterea ait: Inueni: eo quod venundatus sis, vt faceres malum in conspectu Domini. Ac si propheta diceret: Qui Dei inimicus est, etiam meus hostis est: qui Deo reluctatur, amicū dicere nequeo meum. An nō similia quædā in Ioanne inueniantur? Ioannes, inquit Euangelistū, arguebat Herodē dicens: Nō licet tibi fratris tui habere coniugē. Herodes autē metuebat Ioannē, sciens eū virū iustum & sanctum. Vide ergo num vtrobiq; idē factum, idemq; sit spiritus? Vtrobiq; spiritus verax, grauitas, cōstantiaque in hīs prædicatoribus consideratur. Vtrobiq; diuini verbi virtus cernitur. Vtrobiq; filiorū Adæ natura cōspicua est. Quæris qui sic? Ecce veracem spiritū, grauitatē, cōstantiaq; quæ ita sese in propheta ostenderūt, vt rectē de eo dici potuit: In diebus suis nō pertimuit principē, & potentia nemo vicit illū: cum ea verbi Dei potentia est, vt etiā Impios terrefaciat. Quod si suo cōmodo impendere nolunt, ad æternum cruciatū audient. Hęc semper Adamo genitorū natura fuit, nullū delictorum correctorem amicū putauerunt vnquā. Sic impius Achab fecit. Quod si Elias tacere, cōuenire, ac blandiri potuisset, sanē Achab amicus fuisset reputatus, sed quia arguit, inimicus habetur, imò nullius sibi rex impius hostibus faciūris in Eliam conscius, iniuriā fieri

1. Reg. 21.

Marc. 6.

Eccl. 48.

fieri sibi, dum à Propheta corripitur, autumat. Summa enim in mundo iniuria est, corripì atque moneri. Idem Ioanni euenit. Et quid peruersius? Achab Eliam inimicū suum iudicabat, eo quod argueret, verus tamen amicus illius erat, tantum si amici consilium secutus fuisset impius. Alios in impietatem instigantes, seque strenuos iniquitatis augēdæ adiutores offerētes, intimos amicos putabat suos, cum re vera essent inimici: quod ad certissimā perditionem regem totāque familiā pertraherent, secundum hæc externa: quod enim ad animam, iam antè perierat. Ita & Herodes, qui conuenientibus adulterio suo, amicus erat. Quod quia Ioānes arguebat, carceri inelusus tenebatur, imò capite pleſtebatur. Sed Euētus rerū docuit, quis fidus cōsilio amicus fuerit. Idem morbus etiamnum perdurat, nemo vult corripì. Quotidie enim experimur Eliam atque Ioannem admodum parum inire gratiæ coram mundo, sed propterea cessandum non est, imò hanc ob causam vterque hic proponitur, Vterque constantis veriſque prædicatoris exemplum habet. Non ideo cessandum est, quia Mundus audire recusat. Quamquam enim Achab cum sua Iesabel inuitus audiret, non tamen Elias destitit, Idēque Ioannes fecit. Cū igitur tā sibi inuicē conformes hi duo sunt, simul etiā atque vna eos nobis inculcemus, ipsique quantum licet conformes fieri studeamus. Gratia Dei nobiscum. Amen.

SERMO SEXTVS.

SI quis Euangelij huius historiam nouerit, facilè quidē si modo communi ratione præditus fuerit, quis Ioannes, cuius hodie natalē peragimus, quod officiū eius, quid in terris effecerit, et quis eius vsus sit, intelliget. Quinimò Ecclesiasticarū rerum gnarus, primò mox historiæ illius intuitu, dignam iustamque hanc illi animam memoriam tribui iudicabit. In ipsa enim historia clarè demonstratur, quod de Ioanne prædicauit Christus nimirum inter natos mulierum non surrexisse maiorem Ioanne Baptista. Magnos quidem hic mundus & excellentes viros habuit, præstantiores verò Ecclesia: neutra tamen in parte, maior hoc Ioanne Baptista surrexit. Omnia enim in illo noua, omnia rara, excellentia, sancta: ita vt scriptura veluti de nouo quodā homine, cui similē hic Mundus

Ioan. 1.

Mundus non viderit, loquatur, quodcumq; ipſius mē-
tionem facit. Fuit homo miſſus à Deo, Ioannes ait, cui
nomen erat Ioannes. Hic venit in teſtimonium vt te-
ſtimonium perhiberet de lumine, vt omnes crederēt per
illum. Sumus quidem homines etiam nos in Ioanne, ta-
men illud nouum eſt, quod mirabiliter conceptus, in
natiuitate miraculis decoratus eſt. Peculiaris quidam ho-
mo fuit. Deinde quoque & alij quidam hoc nomine Io-
annis appellati ſunt. Sed hoc ipſum illi nouum eſt, quod
nomen hoc, non ab hominibus, ſed ab Angelis inditum
accepit, nec nudum, ſed ipſam nomnis ſignificationem
atque virtutem: Ioannes enim Gratiā ſignificat. In quo
verò diuina gratia clariùs luxit, aut quis Chriſtum præ-
dicauit clariùs? Præterea ſunt & alij prophetae à Deo
miſi, ſed hoc in Ioanne nouum eſt, quod non mo-
dò miſſus, verum etiam per Malachiam promiſſus, of-
ficiūque eius per Iſaiam prophetas vaticinatum eſt.

Malach. 3

Iſaia. 40

Propterea peculiari quodam modo miſſus à Deo dici-
tur. Poſtremo & alij prophetae teſtimonium veritati per-
hibuerunt, ſed hoc in Ioanne nouum eſt, quod non, vt
alij, de venturo Chriſto loquutus eſt, ſed præſentem di-
gito monſtrauit. An forte magnus hic, Ioānes enume-
ratis his cauſis, iudignus erit, cuius honorifica memoria
in Credentibus vigeat conſerueturque? in hoc cardo
rei vertitur, vt diuina opera, cum in conceptione, tum
etiam in natiuitate facta diligenter conſideremus, deinde
& prædicationem illius attendamus, denique & vi-
tæ conuerſationem. In primo certiffima diuinæ bonita-
tis, veritatis, atque potentiae videbimus ſigna: Idque
noſtro bono. In ſecundo, Chriſtianæ doctrinae modum
inueniemus. In tertio, perfectæ vitæ exemplum habebimus
obuium. Si quæ tibi de Deo ſperanda ſunt hæſi-
tas: quid in Ioannis natiuitate contigerit, vide. Nor-
mam veræ doctrinae petis: Ioannis prædicationem obſer-
ua. Quæ vitæ ratio ſequenda ſit pijs ignoraſ? Ioannis
vitam aſpice. Hæc qui fecerit, præſentem feſtiuitatem
rectè celebrauerit. Gratia Dei nobiſcum, vt Ioannis
adhortationem ſequentes, ad eum perueniamus ſecu-
re, quem ipſe prædixit, Ieſum Chriſtum dominum no-
ſtrum. Amen.

SERMO

SERMO SEPTIMVS.

PRæter alia, illud quoq; in hoc Euangelio ostenditur, quod ea diuinorum operû in Ioannis baptistæ natiuitate fuerit maiestas, vt nō modò propinqui ac vicini, quicquid de nato infante futurum esset mirarentur, verumetiā alij, quorum fines hæc pueri fama percrebuisse, ostupestacti inuicem quærerēt: Quis putas puer iste erit? Quin hodie etiā admirari quis posset, quæ Dei hoc ipso facto fuerit intētio, vt hoc ipso puero, & in ipsa qui dem natiuitate, tot signa fecerit, nusquā cū simile legatur in vlla historia: nempe, tot in vnus natiuitate hominis signa facta fuisse, excepto Christo. Est alioqui minimè rarum, Deum mirabilia in sanctis suis fecisse: facit etiāmnū nomenq; tenet, in sanctis esse mirabile: sed hic tantū de Ioannis natiuitate loquor, in nulla aliqua historia eiusmodi, tot signa inuenio. Mirabile erat Isaac atque Samuelem senio confectis & antea sterilibus genitos fuisse matribus. Mirabile etiā Ieremiam in matris vte ro fuisse sanctificatum, inque Prophetam electū. Mirabile erat, Mariam sine originali peccato conceptā fuisse. In Ioanne verò non vnū aliquod, sed multa simul cōsiderātur miracula. Annunciatur, proprio ac inusitato nomine vocatur, ad præstātissimā peculiariāq; munia ordinatur ab Angelo: anicula & nunquā prius fœcunda matre conceptus in hanc lucem editur. Mirabilis Deus in Patre, quem pro incredulitate sua quasi elinguem fecit: mirabilis in matre, quod repletā spiritu sancto, præsentia Domini ad huc in virginea aluo clausi cognoscere docuit: mirabilis in Ioanne, adhuc maternis visceribus absconsum exultare faciens in gaudio. Rursus in Zacharia mirabilis, linguæ eius vinculum nato infante soluens. Hæc admiranda erant, cunctisq; ad stuporem adactis, in hanc vocem erūpere facit. Quis putas puer iste erit? Enim manus domini esset cū eo. Posset quis non ab re etiamnum secum mirari, ac quærere: Ecquid tot in infante exhibitis signis Deus voluit? Sanè sine graui & virgente causā factū non est. Ipsum munus, cui Ioannes destinabatur, eiusmodi signa Dei in ipso postulabat. Et quod officium? Ipse Deus in Malachia dicit: Ecce mitto angelum meū & præparabit viā ante faciē meam. Et in Isaiā

Luc. 1.

Psal. 67.

Gen. 17.

1. Reg. 1.

Iere. 1.

Luc. 1.

Malach. 1.

legi.

Isa. 40.

legim⁹: Vox clamantis in deserto. Parate viā Dñi, rectas facite semitas Dei nostri in solitudine. oīs vallis exaltabitur, & oīs mōs & collis humiliabitur. Ioānis primo legimus, hominē à Deo fuisse missum, nomine Ioannē. Venisse hūc vt testimoniū perhiberet de lumine, vt oēs crederēt per illū. Tū Angelus Lucæ primo capite sic de eo refert: Ipse præcedet ante dñm in spiritu & virtute Elię. Deinde ipse etiā p Zacariā ipsum alloquitur dicens: Et tu puer Propheta altissimi vocaberis, præbis em ante faciem dñi parare vias eius, ad dandā scientiam salutis plebi eius in remissionem peccatorum. Ecce Ioannis officium præire ante Christum, vt fortem antesignanū decet, vt prophetam acclamantem vocē Christo parare viā in hominū mētibus: testificari de vero eternoq; lumine, quo omnes illuminamur: conuertere corda patrū in filios, & incredulos ad prudentiam iustorū: dare scientiā salutis plebi eius in remissionē peccatorum eorum: et sic Dño perfectā tandē parare. Hæc omnia officij sunt Ioannis. Hic magna corā mundo autoritas requirebatur, qua sine quid horū effecisset? Præstās esset persona decebat, tāta expediturus negotia. Ecce, eā ob causā, tāta Deus in ipso ante postq; natiuitatē effecit, ideo etiā à spiritu S. à iuuetute ad deferta, deferta inquā: lōgē ab hominū cōuersatione, ad eā vitæ asperitatē adactus est, ideo etiā tot retro seculis officiū munusq; eius prænūciari Deus voluit. ideo ipse Christus tā de eo honorificā mentionē fecit, vt cū mundo manifestaturus eū esset, maiore æstimatione in vulgus prodire faceret. Et quidē speratus successit euentus, & tanta qui strennuus gravitate prædicaret, regniq; cœlestis negotiū pmoueret, solo excepto Christo, alius inuētus nemo est. Vnde factū est, vt nemo tā deses, qui tantū virū corā videre atq; audire nō laboraret: nemo tā impius, qui ab eo consiliū non quæreret: nemo tā pusillanimis, qui in ipsius sermone hæsitaret: nemo tā magnus, qui nō inquireret: nemo deniq; tam potēs, qui ipsum à proposito semita retraheret, omnes ipsum Messiā esse iudicabant, suscepissentq; tanquā promissum saluatorē Regē, nisi ab ipso fuissent prohibiti, se nō esse Christum cōfite. Vnde non immeritō de eo Christus ait:

Ioan. 1.

Luc. 11.

Matt. 11.

Inter natos mulierū non surrexit maior Ioanne Baptista. Sane

Sanè verò: Magnus & admirabilis puer erat, nò modò animâ bonam, sed corpus etiâ incontaminatum nactus. Magnus vir, & qui cû egregia effecit, tum multa quoq; passus est. Magnus propheta, nam & præteritorû, & præsentium, & futurorum mysteria rationesq; patefecit. Magnus Doctor, verbo enim atque opere docuit. Magna lux, arsit enim atque luxit. Magna vox, nam & pœnitentiam, & gratiâ, saluatorêq; proclamauit. Ecce tibi Ioannê, cuius tanta hodie apud oēs credentes memoria celebratur, idq; nò immeritò. Nâ & hodie multû còmodare potest. Quam. n. ob causam gaudendû sit, ipsius nos docet natiuitas, nimirû in deo eiusque laude. Ioân's vitâ respice, & pro tua negligentia rubore suffunderis, quòd tuâ vitam illius vehementer sis consideratus dissimilem. Ioannes enim mundû refugit, tu còtra totum mundû ad te attrahis. Ille in labore, tu verò in otio viuis. Ille in ieiunio vixit, tu còtra in luxuria, Ille corpus suum castigauit, tu voluptatibus seruus. Ille sine vino, tu in ebrietate. Ille in camelorum pilis, tu in mollibus vestibus. Ille in deserto, tu in aulis principû. Ille paucis còtentus, tu infatigabilis. Vides ergo quomodo Ioannis vita, nostrâ arguat? Posset ergo ipse nos hoc modo ad Deum vita còuerrere. Maximè verò hoc prædicatio eius posset, qua breui ac succincto modo præteritorum commissorum pœnitentiam, deinde etiam fidẽ in Christû tanquâ vnicû mediatorẽ docuit. Agè ergo hunc nobis Ecclesia hac die Baptistam proponit, si quo modo conuerti voluerimus ad dominû Deum nostrû. Ipsum ergo intueamur, ipsum sequamur, tû haud dubiè eâ apud Deû merebimur laudẽ, quam hic Ioannes noster præ cæteris adeptus est. Gratia Dei nobiscum. Amen.

SERMO OCTAVVS.

Collatio Iosie & Ioannis.

Quod in hesternâ tractatione dicebâ postremum, illud hodierni sermonis erit exordium. Inter cætera verò quæ in eâ Regû historia sunt, cogitandum pposuerâ quomodo præter omniû expectationẽ gratiâ suâ Deus abundâter in Iosia ostêdisset. Id quod proculdubio hominû vulgo non exiguâ admirationẽ, pijs verò et ingès gaudiû attulit: nimirû cûctis cogitatib⁹ quâ nihil

virtutis

Ioan. 3.

virtutis in parente suo Iofias posset vel cōcipere vel imitari, eoquē pro Rege impium paternæ iniquitatis imitatore seu hæredem expectantibus : de carne enim caro nascitur, & placidam non lupus rapax ouē procreat, nec à degenerē malaq; arbore bonos quis fructus expectat. Vnde maior omnium & admiratio & gaudium fuit, tā diuitem & veluti procacē in puero Iofia Dei luxisse miserantis gratiā. Et ipsum illud est, quod festiuitati huic atque Euangelio perappositē conuenit. Quid. n. in Ioannis nostri natiuitate vel videtur vel auditur, præter admirandā gratiæ factorumq; Dei excellentiā, quæ ita sese in hoc puero exhibet, vt cū præsentēs, iuxta angeli vaticiniū, exultarēt: tum etiā famā eius rei audientes admirarētur, altisq; omnia mētibus reponerēt, inuicemq; quisputas puer iste erit? disquirerēt: Etenim manus Dñi erat cū eo, hoc est, gratia atq; omnipotētia Dei sese præsentem in eo, & nō solū in eo, verumetiā in vtroq; parētē, manifestauit. Tria enim miracula in patre, tria in matre, totidēq; in Ioanne filio omnibus erant conspicua. Patri enim apparuit Angelus prænunciāns promittensq; filium. Sed Angelo diffidens pater obmutuit, postea verò vbi natum infantē aspexit, rursus loqui cœpit. Mater Elizabeth sterilis, iāq; senio cōfecta anicula erat, cōcipit tñ ac parit, insuper spiritu sancto repletur. Ipse verò Ioānes infans sanctificatur in vtero, necdū natus christū cognouit, nomēque suū nō ab homine inditū sed ab angelo prædictū suscepit. Et hæc illa est, quæ cū puero erat manus Dñi. Hoc modo gratia se dei in natali pueri ostēdit. Quid ergo miramur, si nō modō pij gauisi sunt, verumetiā alij hæc audiētes stupefacti? Verū in tā tenera pueri ætate Deo tā tepestiuē operāte, egregia quādā subsecutura fuisse etiam, nemo dubitabat. Nec mirū, tā diuine diuina gratia cœlit⁹ tā citō rigatū, in eā præ cæteris succrescere altitudinem, quemadmodū & Ioānes ea quā ab initio habuit gratia in eā sublimitatē accreuit, vt nō tantū Angelo prænūciāte, Magnus corā Dño futurus prædicaretur, verumetiā ipso Dño testatē, inter natos mulierū maiorē illo nō surrexisse prædicatur. Quid si quis quærat, quā in re hæc Ioannis magnitudo siue præstantia, quā cæteros antecellit, constiterit: huic ipse Christus respōdet: Non ea quæ in Ioanne prædi-

Matt. 11.

101711

prædicamus præstantia est, quasi corpore, diuitijs, amicis aut ætate reliquos antecelluerit maiorq; fuerit. Sed hæc fuit: principio quod fide sua nõ uti arundo, sed quasi Cedrus nullo vëto motus perstitit: secundo, quod nullius hominis fauorẽ, nullaq; mundi gaudia quæsiuit: Tertio, q; ita omniũ illius religionis mētes prædicatione, ac baptismo suo permouit, ut oēs accurrerēt, coramq; eius scemodi hominẽ videre atq; audire, ab ipso etiã doceri cuperēt: Quarto, q; nõ solum Propheta, sed & plusquã propheta fuit. Hæc omnia ipse Christus de eo prædicat. Et quod illi maius, vtilius, certiusq; testimonium dari posset? Et quidẽ ea omnia in ipso certa atq; cõperta sunt. Quid hominẽs vel ad faciendũ, honore, vel ad prætermittendũ, timore magis incitat prohibetq;? Quid Absolonẽ, in impium illũ, pulsandi regno patrẽ impulit conatum, præter honores? Vtrunq; Ioanni ad manus fuit, nihilominus tñ in cõstantia perseverat: vulgus eum Christum æstimabat, eũq; pro messia suscepissent, qui maximus illius gentis honos erat, sed noluit, sed cõfessus est, & nõ negauit: Quia, inquit, nõ sum ego Christus. Cõtrã Iudæorum priores imperiosẽ quærebat, quid baptizaret, cũ nõ esset Christus. Sed minimẽ cõterritus est. Herodes rex in carcerẽ includit, at ipse in veritate professã cõstituit. Tũ Lucas ab incunte ætate deserta incoluisse eum testis est. Alij verò locustis ac melle siluestri pro cibo vsum fuisse referunt. Id quod clarẽ demonstrat, nec gaudium in mundo, nec amicitias hominũ quæsiuisse eum, aut ambitiosẽ concupiuisse. Deus illi & fundamentum erat & finis. Tũ verò ita clarẽ in Euãgelijs qua grauitate, nullius cuiuslibet sortis hominis timore, prædicauerit perscriptum est, ut longiore probatione nõ sit opus. Denique etiã & propheta plusquã ppheta fuit. Quæris quomodo plusquã ppheta fuerit? Ecce mōstrauit corã, quẽ oēs Prophetę alij venturũ esse prædixerant. Deinde etiã pphetauit adhuc in maris aluo positus, exultans & gesties. Tertiõ tantam pphetice gratiæ abundantia cõsecutus, ut ipsi parẽtes etiam inde participarint ppheticum spiritum. Ad hæc, oĩa illius pphetarunt: Nam & natiuitas eius mox futuræ Christi natiuitatis præsagium erat. Quemadmodum & aurora ppinqui solis spẽ adfert. Nomen Ioannes adesse Dei gratiam

Ioan. 1.

Mar. 6.

Luc. 3.

Matt. 3.

tiam indicio erat. Ioannes enim gratia dicitur. Prædicationis eius sequentis prædicationis, peccatorumque ablationis vaticinium erat. Admiranda vita ipsius futurum ostendebat, vt conuerfis mortalibus ad meliora, vera bona conquisituros, falsa verò contempturos esse homines. Hac ratione propheta maior Ioannes est: alioqui enim quid desertum incolere oportuit? Propterea igitur Christus ait: Inter natos mulierum, non surrexit maior Ioanne Baptista. Et ipsum quidem credentium Ecclesia hodie commemorat. Miratur & exultat in præstanti illa Dei gratia, quâ in Ioanne, & quidē ab ipsa natiuitate, manifestauit. Estque sufficiens cogitandi materia, huius dici. Id ergo vt faciamus, gratia nos Christi adiunget, Amen.

S E R M O N O N V S.

Super D. Chrysost. verba Tom. 2. sermonum de natiuitate Ioan. Bapt.

VNde festo huic nomen origo; data sint, commemorare necesse non est. Neque enim Christiani tantum, verumetiam Iudei atque alij circa nos Ioanni nostro hanc diē sacram esse, illiusque hodie natalē celebrari norūt. Verū quid in eo pie atque cōmodē meditari, aut qua ratione Christianē celebrari possit, nō omnibus apertū est. Quāquā & illud lōge petitū addiscere necesse nō sit Ipse. n. Euangelista Lucas duobus Euāgelij, hæc ostendit, quorū alterū heri, alterū hodie legimus. Et tanta quidē ille tāque magnifica de pueri huius natiuitate cū circūstantijs perscripsit, vt facili cuius attēto sit cognoscere, quanta cū pietate celebrāda sit festiuitas. Sanē maioribus nostris primisque Christianis satis magnam pietatis occasionem hæc historia dedit. Imò verò in ipsis Ecclesiæ proceribus, non modò quod mireris, verumetiam quo delectari possis, videre est. Tāta enim diligentia Ioannis historiam hanc considerauerunt, tam profundē perquisierunt, omniaque ac singula verbalibrarunt, tam suauibus meditationibus semet in ea oblectarunt, tam multa pietatis plena inde & ipsi sumpserunt, & alijs proposuerunt, tam preclara eius rei monumenta post se reliquerunt, vt mirari quis possit quo tandem modo tam longē deflexerimus nos, quibus Ioannis hæc solēnitas tantum in lasciuia vocum pedum.

dūq; saltatione, in comestationib⁹ cōpotationibusq; in
 infans clamorib⁹ vociferationibusq; peragitur. Nec hi
 storię maiestātē attēdimus, nec in eā patrū meditationib⁹
 mouemur. Vide. n. vel solius Chrysostomi pręclarā illā
 tantū in prima euāgelij verba locupletē exercitationē: cū
 hęc sibi verba sumēs. Elizabeth impletū est tēpus vt pa-
 reret: primū, illud ipsum Elizabeth tēpus circa solstitiū
 æstiuale fuisse. deinde à natiuitate Ioannis ad conceptio-
 nem recurrēs, per nouē illos menses, quibus in vtero ma-
 tris erat Ioānes, circa autūnale æquinoctiū ab angelo prę-
 dictū fuisse inuenit. Hinc tertio, à Ioānis natiuitate sex
 mensibus enumeratis ad illud tempus quo incarnatio fi-
 lij Dei ab Gabriele virgini pręnunciatur, procedit, at-
 que vernale illic æquinoctiū comperit. Deniq; inde no-
 uem illos menses, quibus virginea carne latebat Chri-
 stus, enumerans, circa solstitiū brumale natum ipsum fuis-
 se inuenit. Hinc tandem concludit, Ioannem autumnō
 conceptum, verū æstate natum, Christum verò veri tem-
 pore conceptum, sed natum fuisse hyeme: Qui sanē qua-
 tuor anni partes sunt. Nec sine causā duorum Ioannis ac
 Christi cōceptiones natiuitatesq; quatuor illas anni par-
 tes occupauisse opinatur. Postea etiā quid sibi velit obser-
 uati temporis ordo exponit, cur Ioannes nō solū remean-
 te Sole natus, verum etiā accrescēte nocte, adeoq; diē mi-
 nuente conceptus sit: Christus verò non solū sole superi-
 ores circulos ascēdente natus: verum etiā vernali solsti-
 tio crescēte, diē atq; noctē abbreviante in virginis matris
 vtero cōceptus sit. Ioānes intelligitur Lex: veterisq; tes-
 tamēti, omniūq; quę illud cōplectabatur, ac humanū ge-
 n⁹ grauabat illo tēpore molestiā, imperfectiōis, inopię-
 quę figurā gerebat. Christus euāgelii significat, & nouū
 testamentum cum omnibus gratiæ donis libertate atque
 gaudio ipsius, quę in eo regnāt. Quod ergo Ioānes cre-
 scēte nocte concipitur, remeāte etiā sole natus est, indi-
 cium erat abrogandę Legis, auferendiq; peccati, mortis,
 omnisq; miserię. Quod verò Christus mēse Martio, &
 post vernale æquinoctiū cōceptus, ac homo nat⁹ est sol-
 stitio hyemali, qū crescēte diē nox decrescit, argumentū
 erat prodeuntis micātisq; Euāgelij, siue noui Testamēti,
 Lucis ac gratię ort⁹ expectād⁹ erat. Cui etiā rei hoc seruit,

chrysost.

quod matre anicula Ioannes, virgine matre Christus natus est. Deficere nimirū Ioannē. Christū verò, quēq; per ipsum significata sunt adolēscere oportuit, Ipso Ioanne dicente: Ipsum oportet crescere, me autē minui. Ecce hæc D. Chrysostomi super primam illam huius Euāgelij vocem meditatio fuit. Et quale tandē tempus postularetur, si quid præterea idē alijq; in eam Ioannis nati recens historiam multa consideratione conscripserint, recitare vo-
luero? Vtique minimum hoc in ea historia est, quod Lucas ait: Impletum est tempus pariendi: Si ergo quod minimum est illic, tanta ostendit, quid magis ardua facient? Verū ipse CHRISTVS ait, inter natos mulierum, nō surrexisse maiorem Ioanne Baptista. Idque copiose demonstrari potest, nimirum Ioannem ipsum omnibus veteris atque noui testamenti sanctis præstare. Neq; enim, si omnes omnū temporum historias legeris, tot tantaq; in vniū alicuius hominis natiuitate, Christum semper excipio, miracula videbitis, præterquā in Ioannis nostri. Idq; nō sine peculiari ratione factū est. Nullum enim ipse Ioannes per omnē vitā miraculū edidit, eoque maiora Deus exhibuit in natiuitate illius: Atq; ita quidē fieri oportuit. Ad egregium atq; celebre munus Ioannes seligebatur, ideoq; ab incunabulis celebrē eius famā esse decuit. Id ergo Deus in eius natiuitate magnis ac inauditis prodigijs effecit, vt oēs simul inuicemq; dicerent: Quis putas puer iste erit? Hunc Deus finē proposuerat. Quia verò nō sibi sed Christo homines colligere debuit, si ipse per vitæ tēpus suum miracula edidisset, nihil sanē profuisset. Sine miraculis enim Iudei eū Christū opinabantur, qd si etiā miracula ipse edidisset, vulgus hominū relicto Christo, omne ad ipsum reuertisset. Ea propter edendorū miraculorū virtus, ipsi quidē data nō erat. Deus autē illo maiora in natiuitate eius faciebat, imò vero & ante natiuitatem, quo sua ipsi maneret autoritas. Quāto verò hic de ijs miraculis campus se aperit? Sanē non vnus sed plurimorum sermonum hæc dicendi materia est. Sed quia hæc maxima parte superioribus annis docui, nūc in tria verba (quod dici solet) coniungam. Quicumque piē Christianus es, Ioannē in lucē prodixisse letare: Deū omnia, etiā quæ impossibilia vidētur, facile posse exequi mi-
rare.

Ioan. 3.

Luc. 1.

Matt. 11.

rare. Quod idem visitauerit plebem suam, eaq; redemerit, cum Zacharia laudes predica. Hæc sunt quæ propriè ad hanc festam diem pertinent. Saltationes enim atque choreæ, tum commestrationes ebrietatesque, ac vociferationes nihil ad rem faciunt, magisque Ethnica quàm Christiana sunt. Gratia Dei nobiscum, Amen.

S E R M O D E C I M V S.

In historiam natiuitatis Ioannis.

Conuenientius nullum exordium huius video sermonis, præter ipsam natiuitatis sancti viri historiam. Ait Lucas: Fuit in diebus Herodis Regis Iudææ, sacerdos quidam nomine Zacharias, de vice Abia: & vxor eius de filiabus Aaron, & nomen eius Elizabeth. Erant autè iusti ambo ante Deum, incedètes in omnibus mandatis, & iustificationibus domini sine querela. Et non erat illis filius, eo quod esset Elizabeth sterilis, & ambo processissent in diebus suis. Et factum est autè, cum sacerdos tuo fungeretur Zacharias in ordine vicis suæ ante Deum, secundum consuetudinè sacerdotij, forte exijt incensum poneret ingressus in templum dñi stans à dextris altaris incensi. Et Zacharias turbatus est videns, & timor irruit super eum. Ait autem ad illum angelus: Ne timeas Zacharia, quoniam exaudita est deprecatio tua. Et vxor tua Elizabeth pariet tibi filium, & vocabis nomen eius Ioannès: & erit gaudium tibi & exultatio, & multi in natiuitate eius gaudebunt. Erit enim magnus coram Dño, & vinum & siceram non bibet. Et spiritu sancto replebitur adhuc ex vtero matris suæ, & multos filiorum Israël conuertet ad Dominum Deum ipsorum. Et ipse præcedet ante ipsum in spiritu & virtute Eliæ, vt conuertat corda patrum in filios, & incredulos ad prudentiam iustorum, parare domino plebem perfectam. Et dixit Zacharias ad angelum: Vnde hoc sciàs? Ego enim sum senex, & vxor mea processit in diebus suis. Et respondens angelus, dixit ei: Ego sum Gabriel qui alto ante Deum missus sum loqui ad te, & hæc tibi Euangelizare. Et ecce eris tacens, & non poteris loqui, vsque in diem quo hæc fiant, pro eo quod non credidisti verbis meis quæ implebuntur in tempore suo. Et erat plebs expectans Zachariam, & mirabantur quod tardaret ipse in templo. Egressus verò non

poterat loqui ad eos. Et cognouerunt quod visionem vi
disset in templo. Et ipse erat inuens illis, & perman-
sit mutus. Et factum est ut impleti sunt dies officij eius, abiit
in domum suam. Post hos autem dies concepit Elizabeth
uxor eius, & occultabat se mensibus quinque, dicens:
Quia sic fecit mihi Dominus in diebus, quibus respexit
auferre opprobrium meum inter homines. Ecce hæc illa
historia, quam ideo totam recitari, ut omnes hanc festiui-
tatem, tanto cum omnium in Ecclesia tripudio, non sine
urgenti causa celebrari videant. Alioqui enim non im-
merito quis miraretur, maxime qui hanc festam diem, tantum na-
tiuitatem illius viri respicere intellexerit. Est autem hæc
Ecclesie consuetudo, ut cum filijs suis exulter, non ea
qua primum in hunc Mundum nati sunt die, sed qua pas-
si sunt: qua re sane longe secus, atque Mundus hic, facit.
Qui enim Mundi sunt, lætantur cum nascuntur, merore
afficiuntur mortis presentia. Longe (inquam) alia Eccle-
siae filiorum ratio est, qui natales suos in peccatis ad mul-
tas exilij huius miseriae nati defflent, at in morte contra
lætantur, ut qua miseris peccatisque exuti, ad requiem
transeant. Nullius, præter Christum, Mariam atque Ioannem,
natalem Ecclesia celebrat, sed eam potius diem annua me-
moriam repetit, qua pie sancteque hanc vitam finiuerunt,
Diabolum Mundumque deuicerunt, ex tempesto mari in op-
tatum portum appulerunt, & ex labore huius vite in do-
mini sui requiem introierunt, securi in perpetuum permā-
suri. Id vero ante obitus diem nunquam contingit. Hic er-
go festos dies agendos Ecclesia docet. Quanquam enim
vel iustissimi sint, quandiu tamē in hoc Mundo viuunt,
timendum est. Qui stat, monet Apostolus, videat ne ca-
dat. Et sapiens, ante mortem ne, inquit, laudes hominem quen-
quam, ac si diceret sine expecta, nescis enim an constas per-
mansurus sit. Ne felicē iactaueris nauā, antequam litus
attigerit. Ne canas triumphum alicuius ante victoriam. Sed
in Ioanne peculiare quid offertur. Vnde credentis po-
pulus, non modo in morte, verum etiam in natiuitate eius
cum ipso gaudet. Idque ideo fit: principio, quia tot in nauui-
tate eius cum in ipso tum etiam parentibus miracula contige-
runt. Deinde quod ipsa natiuitas tot motus inter homines
excitauit, multos in admiratione, non paucos etiam in gra-
tiarum

1. Cor. 10
Eccle, 11.

tiarum actionē induxit; vt illo ipso etiā tempore imple-
retur in eo quod postea Christus testatur dicens: A die-
bus Ioannis Baptiste vsq; nunc regnū cœlorū vim pati-
tur, & violenti rapiunt illud. Oēs enim prophete & Lex
vsq; ad Ioannē prophetauerunt. Maximè vero ideo fa-
ctū est, quod Ioānes quemadmodū prædicando Christū
prænunciāuit, ita etiam nascendo sequentē significauit.
Erat enim sequentis Christi certissimum indicium, Ioan-
nis natiuitas. Haud aliter atq; stella matutina oriēte, mox
Solem surgentē certo expectamus, Hoc vero nō exigū
gaudium hominibus attulit. Ipse enim Deus quondam
hoc signo dato, homines sperare docuit, quod viso ali-
quando auditoque Ioanne, mox secuturus esset inque
publicum processurus messias. Ecce, inquit, ego mittā an-
gelum meū, & preparabit viam ante faciem meam. Et sta-
tim veniet ad templum suū dominator quem vos que-
ritis, & angelus testamēti quem vos vultis. Ecce venit di-
cit dñs exercituum. Et alibi: Vox clamātis in deserto. Pa-
rate viam dñi, rectas facite semitas Dei nostri in solitudi-
ne. Omnis vallis exaltabitur, & omnis mons & collis hu-
miliabitur, & erunt pauca indirecta, & aspera, in vias pla-
nas. Erreuelabitur gloria domini, & videbit omnis caro
pariter, quod os domini locutū est. Hæc olim Deus præ-
dixit, voluitque his præmonitos homines ac si dixisset:
Cum hæc ita fieri videritis, attollite capita vestra, & non
longa mora venturum expectate Messiam. Hoc ergo si-
gnum dederat Deus. Vnde quandiu Angelum hunc nūq̃
quam apparentem cernebant, nec hæc in deserto vocem
audiebant, nullam appropinquantis Messiae spem habe-
bant. Verum nato Ioanne, & hūc antesignanum esse Re-
gis magni, Angelo præmonente, venturum mox Mes-
siam certi erant. Ecce hæc celebrati natalis nostri Ioannis
causa est. Quam ea Lucas diligentia præscripsit, vt meri-
tò pie Christianus, quilibet in illa historia occupetur,
vt quæ multis modis prodesse queat, maximè verò in
eo, quod Ecclesia docente, precamur, nimirum ad spi-
ritualium gratiam gaudiorum, & ad dirigendos nos in
viam salutis. Hæc enim duo precari iubemur hodie, vt
& spiritualium gaudiorum gratiam agnoscamus, in viam
salutis pedes nostri dirigatur. Et quid est quod nobis ad
hanc

Matt. 12.

Malach. 3

hanc rē plus cōmodare potest, pręter hanc quam audiui-
mus historiā aliāq; quorū Scriptura, de Ioanne loquens
mentionē facit? Nusquā enim eā quā in hac historia ve-
rā, spirituale diuināq; lętitiam videbimus. Nō alia re,
quā hac historia, cōpendiosius discēs, qua ratione pe-
des tuos in viā salutis æternę dirigas. Id ita esse, paucis
ostendā. Principio, igitur quod verē spirituale fit gaudiū
queris? (de hoc enim solo loquor, hoc oēs inquirere æ-
quū est, hoc etiā Angelus intelligi vult, cū multas in na-
tuitate Ioannis gauisuros esse pręnūciat, hos etiā pij pa-
tres nostri in hoc festo quesierūt, cū nemo nō spirituale
gaudiū expeteret, quod Angelus nūciasset, quod etiam
nū inueniri posset, quemadmodū & ab illis inuentū est.
si tantū inde abduci nos ab hoste nostro passi non fuis-
semus, aut ipsi ā spirituali gaudio, ad mētium illā corpo-
rumq; insāniam, petulantiamq; nō defecissemus: Ita vt
nec illius quod Angel⁹ pręnūciavit, gaudij recordemur,
Id quod Christianos nō modō minus decet, festosq; di-
es nostros Iudęis atq; alijs, rīsum facit, verū etiam hoc
efficit, vt licet inuiti, audire tū cogamur: Vā. vobis qui
nūc ridetis, quia flebitis. Nec mihi propositū est, Mūdi
illā vāsaniam, ab hominib⁹ eximere: quōd alij multi me
multo pręstantiore id sepe frustra tentarūt: sed pijs atq;
credētibus loquor, quorū de verē spirituali gaudio, que-
runt ex ipsa historia rēspōdebitur. Ipse Zacharias, qui
eā historiā nō modō mētis gaudio, sed & oris cōfessione
cōcludit, docebit: Et quomodo ad illud gaudiū puenit?
Serō quidē & nō sine mora successit, inceptūq; est nego-
tiū, multi etiā dolores se immiscebāt, pībātq;. Quanquā
enim, ambo iusti essent, Zacharias vxorq; Elizabeth, vī-
que in senectā, tū illa, quā nōnunquā & malis cōcedi vi-
demus, benedictione priuati erāt. Nō erat illis filius, ait
Euangelista. Quę sanē illorū tēporum, maxima erat mi-
seria priorū, scientes Abrahā hanc ā Deo accepisse bene-
dictionē primū, futurū esse, vt benedictione multipli-
caretur semen eius, ita planē, vt oēs populi in illo semine
benedicēdi essent. Vnde hac prolis benedictione priuati,
eiectione sēse esse ā gratia Dei colligebāt, & eiusmodi pla-
nē esse, alij iudicabant. Id quod in Anna Samuelis matre
videre est, cui veluti grandis calumnia, hac fecunditatis
bene-

Luc. 1.

Luc. 6.

1. Reg. 1.

benedictiōe priuatā esse, obiectū fuit. Hanc ergo & ipse, quantum iustus Zacharias sustinuit, & quidē in senectā vsq; calumniā. Insup priusquā verū illud cōsequeretur gaudiū, etiā linguae vsu orbatur, quo nō modò priuaretur benedictiōe illa, pręterea etiā pateretur. Id quod amplius, quasi irati Dei, pœna, suspitionē augere potuit. Solum em hoc modo iudicare mūdus, vt eū maledictū putet, cui afflictiones à deo impositas esse videt. Ita em & christo & Apostolis, & Martyribus, & veteris Testamēti patribus, & ipsi huic Zacharię vsu venit. Verū tandē rerū exitus alia edocuit, qñ copiosum gaudium cumulātē conferretur. Primo Angelus apparet. Idq; principiū erat gaudij. Neque verò exigua gratia est, videre angelū, eo videre modo, quo Angelū hunc, Zacharias vidit. Enimvero alia lōgē hęc apparitio fuit, q̄ olim cū vel in Aegypto apparēs, primogenita occidit: vel in faciē Baal educto gladio restitit: vel in tētorijs Sēnacherib, vna nocte oēm exercitum deleuit. Clemētia hęc apparitio erat, illa verò ire. Quāquā em Zacharias turbaretur, mox tñ cōsolatio cōsequitur, Angelo dicēte: Ne timeas Zacharia, quoniā exaudita est deprecatio tua. Et vxor tua Elzabet pariet tibi filiū, & vocabis nomē eius Ioannem, & erit gaudiū tibi, & exultatio, & multi in natiuitate eius gaudebunt. Et hic, ad gaudiū illud, secundus erat gradus, cū nō modò angelū videt, sed & loquentē audit verba Dei, & eiusmodi planē, quæ meras pmissiōes cōtinebant. Et quę promissio? Illius nēpe, quod in hac vita expectabat maximū: filiū nimirū, & eiusmodi, qualē vsq; in eū diē, Mūdus ne quidē vidit: filiū, in quo mortalibus omnibus, pręstatis gratiæ ederetur exemplum, quā ob rē etiā Ioanne dictus est. Et huius rei gratia Angelus multis verbis vsus est, sed quę multū ad rē faciāt, & quorū quodq; peculiare, quid in se cōprehēdit, de hoc puero. Principio em Angelus ait: pariet tibi filiū, vocabis nomē eius Ioannē, et erit gaudiū tibi & exultatio. Et hęc quidē, in genere dicta erant, potuissentq; eam, coniugum horum quā tot annis sustinuerant calumniā leuare. Sed minimē his contentus Angelus quiescit, adhuc enim alias huius infantuli conditiones enumerat, & tot omnino, vt Zacharias habere dictis, fidem vix posset, vt qui eā bonorū, liberalissi

mi Domini copiam, ne sperasset quidem. Quid ergo de nascituro infante prædicat Angelus porrò? Magn⁹ erit coram Dño. Ecce hæc de Ioāne necdū cōcepto dicuntur. Et quid præclarior de eo dici potuisset? An nō lætitia perfundi debuit pater, cui tātus filius prænūciatur? Quātus sudor est ad pietatē filios erūdire? Non hoc labore Zacharias in erudiendo filio opus habuit. Deus em̄ ipse in hoc infantulo operari voluit, imò vero adhuc in matris positū vtero spū sancto replere, vnde nihil præter magnū atq; egregiū sequitur. Quid enim nō potest spūs ille sanctus? Sane nō est quod miremur magnū fieri corā Dño, nulla mundi huius cupiditate titillari, oēs ad Christum perducere, cum, qui spiritū sanctū in se habet. Et quomodo hæc in Ioanne cōsummata sint oēs Euāgelistæ testatur, nullus horū Ioaninē nostrū trānsiit. Et Lucas quidē atq; Marcus exordiū ab eo Euāgelicæ historiæ sumunt, Matthæus non quidē ab eo exorditur, verū mox tamen in illius historiā incidit. Quemadmodū Ioannes etiā facit. Quod ad Lucam, iā ante audiuimus. In Marco verò sic legimus: Initium Euāgelij Iesu Christi, sicut scriptū est, in Isaia Propheta: Ecce ego mitto angelū meū ante faciem tuā, qui præparabit viā tuā ante te. Vox clamātis in deserto: Parate viā Dñi, rectas facite semitas eius.

Mar. 1.

Matth. 3. Matthæus in hæc verba scribit. In diebus illis (nimirum quibus Christus natus erat) venit Ioannes Baptista prædicans in deserto Iudææ, &c. Postremus quidē Ioannes Euāgelistarum est, sed oim grauissimē, nec vno in loco de Ioanne Baptista loquitur. Oīa hæc Zachariæ promissa sunt, & quid miramur: aliud præter Ioannis, puero indī nomen prohibuisse? Nequaquā inquit mater, ipse verò pater cū loqui nō posset scripsit in eandē sententiā: & hoc secundū est, quod Zachariæ patri gaudiū attulit. Tertium verò maximū est, quod filij promissionē accepit, & talis filij, in cuius officij descriptione ipse etiam christus promittitur. Et ipse præcedet ante ipsum in spiritu & virtute Elię. Hoc maximum erat, neq; Zacharias satis mirari potuit: Et, inquit, tu puer Propheta altissimi vocaberis, præibis enim ante faciem Dñi parare vias eius: imò vero propterea erūpere in hanc exclamationem cogitur: Benedictus Dñs Deus Israël, quia visitauit &

fecit

Luc. 1.

fecit redemptionē plebis sue. Hic illud gaudiū perfectissimum est, imò vita eterna est, cognoscere Deum, & quē ille misit Iesum Christū. De qua re quā pulchrē Zacharias canat ausculta. Nondū Christus redemptionis munus exorsus erat, imò nondū in hanc lucē processerat, itā cōfidenter tamē ea de re Zacharias loquitur, ac si ita dudū cōfecta essent oīa. Sed vnde hæc illi certitudo? Ioannes. Quandiū. n. hunc habebat, de Christo hæsitare non potuit. Et tu puer. Quis iste vero Dñs est, ante cuius faciem Ioannes erat præcessurus? Oriens ex alto. Sic Lucas, sic & Zacharias Christum appellat. Hoc illi nomē est. Sed quale munus ipsius est, quid effecit? Visitauit & fecit redemptionē plebis sue. Et erexit cornū salutis, quomodo visitauit? Per viscera misericordiæ. Quomodo, & vnde liberauit? Salutē ex inimicis nostris, vt seruiamus porrò coram ipso, oībus diebus nostris, sine timore. Quid ipsum ad hæc permouit? Tria. Misericordia ipsius, veritas, & nostra inopia. Ad patefaciendā misericordiam suā, primum est: Ad faciendā misericordiam cū patribus nostris, & memorari testamēti sui sancti, ac iusiurandi quod iurauit ad Abrahā patrē nostrū atq; Dauid. Per memetipsum iurauit, inquit, si Dauid mentiar. Et: Iurauit Dñs, Dauid veritatē. Et: Iurauit seruo meo Dauid. Tū per reliquos etiā Prophetas denunciauerat atq; promiserat. Hoc ergo præstare voluit. Traxit verò & nostra inopia. Prospexit de excelsō sancto suo, Dñs de cælo in terram aspexit. Vt audiret gemitus cōpeditorum, & solueret filios interemptorū. Et quæ nostra inopia? In tenebris & in vmbra mortis sedebamus, pedes nostri à via felicitatis deflexerāt. hæc nostra erat inopia. Ille ergo cōtrā lucem dedit nobis, & reduxit nos in viam salutis. Et quid cōuenientiùs sequitur, nisi vt dicamus: Benedictus Dominus Deus Israël. Ecce gaudium, quod Angelus annunciauit, Zacharias: sensit, cui & præsens festiuitas ininitur, & quod publica omnium vocē à Deo expetimus: Da Domine spiritualium gratiam gaudiorum. Hoc qui non concepit, intraq; se experitur, verē hunc natalem non celebrauit, imò qui per Ioannem ad Christi agnitionem non venit, ne quidem Ioannem nouit. Non enim sibi tantum natus est Ioannes, sed ad

Psal. 89.

Psal. 101.

ad

ad parandā viam Dño, ad perducendū hoīes in agnitio-
nē Christi & beatitudinis in remissionē p̄ccōrum ipso-
rum. Id q̄ secundū est hodiernę ac Ecclesię orationis,
qua Deū pr̄camur vt cōm fidelīū mētes cōuertat. Huic
igitur rei pr̄sens historia seruiat, vt via aperta sit Deo
introcūdi in corda nostra, tū verō pedes nōstri in viam
pacis atq; salutis directi sint, hoc est. Ad hac rē nobis cō-
modabit Ioannis festiuitas, ne nosmet in ea quā pr̄sentē
tenemus gratiā, impediamus: sed ipsi quoq; futurę glo-
rię acquirēde studeamus. Gratiā em̄ promerita est, salus
atq; gloria promissa est. Christus pr̄stō est. Ego, inquit
stō ad ostium & pulso: & Iōānes quidē digito in ipsum
mōstrat: ecce agn⁹ Dei, ecce qui tollit peccata mūdi. Hic
est qui in spiritu & igni baptizat. Hic est de cuius plen-
titudine oēs accepimus. Hic est vnigenitus ille Dei filius,
qui est in sinu patris, quē manifestauit pater, quem pater
diligit, cui pater oīa in manus dedit. Proinde pcc̄nitentiā
agite, quicquid vsq̄ā impedimēti, quod vos ab ea gratiā
remoratur, est, abijcite. Quicquid cōmodare potest, su-
scipite. Ne quid confidentius agatis, neq; desperetis, no-
lite in factis vestris gloriari, nec peccatores animū abij-
cite. Vtrūvis enim horū Christo viā pr̄cludit. Peccato-
res vos agnoscite, gratiā quærite, discedite à prauis vijs
vestris, rectā & regiā viā incedite, vt ab hostiū vestrorū
timore liberati, deinceps Deo & Dño vestro sine timō-
re in sanctitate atq; iustitia seruiatis, oībus diebus vestris.
Ita em̄ Zacharias monet. Propterea liberauit nos, vt nō
nobis, nō mundo: sed ipsi, nec externo habitu tantū, sed
in sanctitate & iustitia, non solū corā mundo, sed corā ip-
so, nec vno aliquo tēpore, sed omnibus vitę nostrę die-
bus seruiamus, hac via illa salutis ac pacis, ad consequen-
dā peccatorū remissionē & æternā cūm pacē, tū sc̄licita-
tem. Hanc viā Ioannes docuit, hanc ipse cū vtrōq; paren-
te iuit. In omnibus iustificationibus ambulabāt. Propte-
rea etiam primi erant, quos pro Christi agnitione latitū
deus perdidit. Huic ergo nos quoq; studeamus secundū
euangeliū. Monet quidē Ecclesia precari Deum, vt diri-
gat vias nostras, tñ etiam quod nostrū est pr̄standū e-
rit. Deus iustificat atq; sanctificat nos, sed nō sine nobis.
Nō enim otio torpendū est. Gratiā Dei nobiscū, Amen.

IN